



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

PRÆFATIO.

VT Controversias ex *Vniuersa Theologia D. THOMÆ AQUINATIS* Selectas, veluti totidem ex *Sublimis eius Ingenij* sudissimis *Cælo Stillantis Roris Guttas*, publica *Disputationi*, & *pælo committerem*, debita erga *R. P. CHRISTOPHORUM HAUNOLDUM*, (summi mihi *Venerandum Magistrum meum*, quo in *Theologia annos omnino quatuor* constanter usus sum, *Observantia ac Gratitude* exigere videbatur. Cum enim in *Theologiam suam Speculativam*, *Septem* abhinc annis maximâ *Electoralis hujus Academiae* approbatione, & *eximiâ legentium utilitate editam*, ex *ANGELICI DOCTORIS*, Cujus fuit ut *Ros Eloquium*, *cælesti Sapientiâ sibi profluxisse*, in *Voluminis* fronte præfixo *Emblemate*, & *hac grati animi Inscriptione*, *Stillantem colligo Rorem*, palam professus esset: *Adm. R. P. GREGORIUS à S. LAURENTIO S. Ordinis Carmelitæ*, ad se spectare putavit, ut tam pretiosa *Doctrina Stillas in auram effunderet*, atque dispergeret, *communi Veritatis propugnanda prætenso jure*: quo *Amicissimè*, & *inter Religiosæ Observantiæ ac Charitatis limites*, ad *normam SS. AUGUSTINI & HIERONYMI*, *Sententijs ac Opinionibus inter se aliquando dissidentium*, se usurum esse, in *Præfatione suarum Thesium*, adversus *R. P. HAUNOLDUM* *Superiori anno in laudem emissarum*, *Lectorem præmonuit*: proinde ut solo *Intellectu*, non autem etiam *Voluntate alienatâ*, à prædicto *Autore dissenteret*, id sibi tanquam *Thomistæ*, ex eo *facillimè fore confusus est*, quod *sustineret*, *Intellectum Realiter distinguere à Voluntate*; & quæ *verba Erroris*, *Falsitatis*, *Deceptionis*, *Ignorantiæ*, & *aliorum hujusmodi*, non contra *Personas*, sed contra *Opiniones*, & hoc etiam quatenus minus *Solidæ sunt*, vel *appareant*, interpretanda esse vellet.

Ne itaque à meo *Magistro*, *multorum annorum solerti studio*, & *amplissimâ Ingenij capacitate*, *fideliter collectum*, mihi quæ *hand arare instillatum Rorem*, quocunque *Virritatis tuenda alieno Prætextu*, *Contemptim Disperdi*, ac *Dispari suerem*, *Gratitudinis* qua ex *Philosophi mente Discipulos Magistro non minus arctè*, quàm *Parenti Filios devotit*, nunquam satis *exolvenda obligatio requirebat*. Præsertim cum *Viderem*, non tantum *R. P. HAUNOLDI*; sed ipsius quoque *ANGELICI MAGISTRI*, & *Societatis Nostre*, atque hujus præterea *Celeberrimæ Academiae Causam agi*. *S. DOCTORIS* quidem, & *Societatis Nostre*, ne *Ille ab Hujus Doctissimis Viris possim Deseri ac Negligi* existimetur: *Academia vero*, ne *ipsa summos honores & primas Cathedras illis Doctissimis imperitè contulisse censeatur*, quorum à *D. THOMÀ* *plerumque aliena est Doctrina*, vel si *aliena non est*, eius tamen *Defensionem aut Suscipere non Potuisse*, aut certe *Noluisse* videatur. quod ipse *Adversarius minimè futurum speravit*; quando in *litteris*, quibus *R. P. HAUNOLDUM* ad *Theologicum Certamen Straubingam Provocare ausus est*, *Eidem corporis imbecillitate* *ortassis prædicto*, *Professores Ingolstadiensis Lycei* *subrogandos*, se non dubitare, *disertis hinc verbis edixit*: *Spero nec defuturos Ingolstadii* quibus placebit *suicitare semen Fratris sui*.

Hac multiplici ac gravissimâ Ratione Stillantem Rorem vindicandi exposuâ, Bene-
 volo Lectori Modum etiam, quem tenere statuerim, paucis aperiam. Prima nempe Re-
 ligiosa observantia & Charitatis, quæ nullâ adverse doctrinæ Censoriâ Deficientiâ in-
 flatur, propoſita cura est; ita ut per intellectus ab oppositis Adversariis sententiis, &
 à Modo Veritatis propugnanda minus Decenti, Dissensionem, ab amica voluntatis Conser-
 vatione me abduci, minime sim passurus: cujus quidem decreti firmitatem ac robur, non tam in
 Doctrina S. AQUINATIS, de Reali inter Intelligendi ac Volendi potentiam Distincti-
 one, constituendum censui, quàm in ejusdem Sanctissimi Ducis proximè suis coloribus
 depingendo, & Studiosissime imitando Exemplo: illa quippe Realis Distinctio neq; ad
 justam Judiciorum diversitatem, neq; ad indissolubilem animorum Concordiam utilis, vel
 necessaria est: quodq; in dissensum Intellectus circa objecta, ac consensum Voluntatis erga
 Personas, nulla refundatur oppositio, aut repugnantia, etiamsi Vocabulis apparenter op-
 positis exprimantur, non Reali Potentiarum Distinctioni, sed Actuum & Objectorum di-
 versitati in acceptis referendum est. Exemplum verò Sanctissimi Theologorum Principis
 ad voluntatem in concepti Propoſiti statione retinendam, longè, ut opinor, erit validissi-
 mum; quod si Adversarius animum suum obfirmasset, postquam pro Veritate amicissi-
 mè se pugnaturum promissit, nunquam unius è Jovi Amicis personam agere maluisset,
 de quibus, quod ad increpandum tantum eloquia concinnaverint, Vir cateroqui patien-
 tissimus non sine gravi sensu conquestus est. c. 6. v. 26. Unde etiam à SS. AUGUSTI-
 NI ac HIERONYMI amica, quam Adversarius ob oculos sibi posuit, contentione, multum
 recessit: illi enim magis Ingeniorum & subtilium Argumentorum acumine, quàm pun-
 gentium verborum Aculeo acriter decertarunt; neq; in Vastissimis suis Voluminibus tot
 ac tam aculeatis phrasibus aut se mutuo, aut alium Catholicum Doctorem impetiverunt,
 quot & quales in paucula Folia Adversarius denso agmine adversus R. P. HAUNOLDUM
 congeſſit: sic (Argumentative, minime verò invective, nisi in præmonitione sua seipsum
 vehementer fallat) in hostem irruens. Exploſit Haunoldus S. Thomam. Non pene-
 travit. Despexit S. Thomam. Pluries contra Doctrinam S. Thomæ impegit. Ab-
 surdè existimavit. In meridie cæcutivit. In Arena se fundavit. In Vanum labo-
 ravit. Defecit. Manca est doctrina Haunoldi. Linguam Haunoldi premunt, qui
 nondum Loqui valent. Taceo brevitatē ac decentia amore cetera felle illita Verborum
 jacula, quæ per Nonaginta quinque Theses Adversarius in VIRUM DOCTISSIMUM coniecit:
 quibus, uti & verbis Erroris, Falsitatis, Deceptionis, Ignorantiæ, et si non ejus Perso-
 nam, sed Doctrinam configere se asserat, difficulter tamen persuadet. Sicut enim his non
 Rerum, sed Personarum Vitia notantur, ita contra Personam dicta prolataq; esse ex eo per-
 spicuum est, quod in solum R. P. HAUNOLDUM pleno ore effundantur; licet ille nec Solus,
 nec Primus Doctrinam, quam Adversarius oppugnat, tradiderit; sed receptas, & pluri-
 um Doctorem publico suffragio comprobatas sententias secutus sit. Accedit, quod ex
 laudatissimo ejusdem Autoris Volumine, quo omnes ferè Contemplatricis Theologiæ quæſti-
 ones præcipue proponuntur, & doctè deciduntur, ea duntaxat Assertiones ab Adversario
 referantur, quæ ipsius judicio asperioris ejusmodi Censuræ notam mereri, & Erroris ac Igno-
 rantia labem aliquam in Autorem derivare posse videbantur: utq; indecora illa stigmata,
 velut nigra in vultu macule clariùs extarent, ea in Fronte Singularum Thesium palam
 inurantur. Neq; facile illorum Doctorem exemplo intentionem factumq; suum purgabit Ad-
 versarius, qui mole & doctrinâ maximis Tomis, subinde, quasi ex re nata, & ad suum
 præcisè de contraria opinione judicium declarandum, non ad unum eandemq; Doctorem
 Salsis Diſterſijs obruendum, modeste aspersam Crisim, cum grano Salis in diversos Adversa-
 rios disperſerunt. Idem nempe Sal, qui magna ac variorum ciborum copie condiende
 sufficit, uni modicoq; cibo (qualem Adversarius parvò suo opusculò in solum R. P. HAUNOLDUM
 profusa cum acrimonia Lectori pascendo apposuit) plenâ manu injectus, non
 nisi ad nimia acerbitatē & amaritudinis fastidium creandum adhiberi potest.

Et aque

Itaq; minus laudabili exemplo Adversarij cautiore redditus, rectius me facturum credidi, si quemadmodum Doctrina, ita etiam Religiosa Observantia Ideam ipsam ANGE-
LICVM DOCTOREM animo meo obicerem: cujus imitandi studio, Adversarij Nomen, nisi
id Theſibus suis quaquaversum disseminatus, Ipse jam evulgasset, libenter ego dissimula-
sem: cum frequenter adverterim, à S. THOMA in Septendecim Tomis, quos conscri-
psit, sibi adversantes non nisi rarissime ac decentissime ex nomine compellari. Quam porro
admirabilis fuerit reliqua ejus S. D. modestia, quam demisse de se senserit, quâ amoris & re-
verentia significatione de aliorum sententijs disseruerit, quàm miti & verecundo stilo citra
ullius Offensionem pro Veritate pugnaverit, in Sanctissima Vite historia accurate perces-
setur, quæ primum in Voluminibus ejus locum obtinet, & in divinarum scientiarum adyta
penetrare nitentibus, ipso statim in Vestibulo ad imitationem proponitur. Quippe ubi
de S. Doctoris Ingenio studiorumq; ratione agitur, leguntur hæc memoratu dignissima
Verba. Ejus siquidem ornatissima Modestia ab hoc ostentationum genere (publicæ
contentiones denotantur) plurimum abhorrebat. Deinde, quando, quem docendi mo-
dum sit securus, ulterius pertexitur, ista inseruntur: Modestiam sanè tam studiosius fuit,
ut indoctior nonnunquam, quàm immodestus haberi voluerit. Quod paulo post hæc
memorabili factò confirmatur. Evenerat ei cum erudito quodam Disputatio, dicen-
di quæ studio accensus Adversarius, contentiosus, quàm par esset, agebat: tunc
ipse sensim disputandi fervorem remittens, finxit, se causâ tunc ei cedere. Verum
sequenti luce sedatum magis ejus animum reperiens, tam copioso Rationum flumi-
ne eum corripuit, tantaq; Verborum luce suas partes tutatus est, & explicuit, ut co-
cessæ Victoriæ violentiam ab eo confessionem extorserit. Post hæc cum de moribus,
quibus cum alijs versatus sit, ex merito suo fuisset laudatus, ita concluditur. In alijs re-
prehendis abstinentissimus: à dicacitate prorsus alienus. Denig, ut plurimum
no prateriam, ne velut in re dubia de Testimonijs anxie laborare videar, in eo loco, ubi
Quos amicos habuerit, inquiritur, subjectis Verbis, quomodo cum ipsam etiam Amici-
simè pro Veritate pugnaverit, pro speciali Adversarij instructione, describitur. Ama-
tus unicè est ab Alberto Magno, & contra ipse ita illum observavit, ut quamvis opi-
nionem nonnunquam ipse scribendo dissenserit, pepercerit tamen semper ipsius No-
mini. Quam Reverentiam etiam si speciali Jure optimè de se merito Magistro debuerit,
quòd eandem tamen etiam alijs Catholicis, & præsertim Religiosis Doctoribus detulerit,
vel eâ modestiâ Uniuscujusq; Nomen allegaverit, ut doctrina nomen cuiuspiam vel augere,
vel imminuere minimè vellet, ex adductis illius Doctissimis Tomis jam ante testatum est.

Atq; ex tot, ac tam præclaris Religiosæ observantiæ, Virtutumq; commemoratarum
Exemplis, quibus S. D. aut proprias sententias propugnavit, aut alienas expugnavit, pos-
sibile intelligo, si ab illo olim sui Magni & nunc Beati Magistri honor, ac tradita sibi Doctri-
næ robur, contra minus verecundam impugnationem vindicari aliquando debuisse, et
forsan graviore ac severiore calamo id præstandum censuisset, nunquam tamen Moderatus
inculcata tutela, quod mihi præfixum est, fuisse excessurum. Ita scilicet firmo & amico
dedit, summus Theologia Magister Doctrinæ Virtutem consociavit, utraq; velut duplici illi
spiritu animatus, quem 4. Reg. 2. v. 9. ELIÆ Vatis ardentissimi Discipulus à Valedictio-
ne Magistro sibi impertiri precatus est: Obsecro, ut fiat in me Duplex Spiritus tuus. Quod
admodum & universa Ecclesia Sanctissima simul, & rerum celestium contemplatione ex-
ditissima Virginis TERESIÆ patrocinio, eundem sibi inspirari huius DEUM Verbis orat:
Vt Cælestis ejus Doctrinæ pabulo nutriamur, & piæ devotionis erudiamur affectu
quo nimirum per avidam omnium Virtutum, præsertim Religiosæ Observantiæ, Charita-
tis, Humilitatis, & Modestiam, exercitationem, DEO constantissime devoveamur.

Alterâ Cura mea erit, ut Adversario potissimum ex Tutissimis & inconcussis Dog-
matibus S. THOMÆ, (ut ea appellat, ALEXANDER VII. in Brevis Apostolico ad Doctores)

res Lovanienses) fide optima non solum ad Singulas ejus Theses, sed etiam ad Singulos Textus, quos magno numero ex S. D. agglomerat, & ad Singula Argumenta plenissime Respondeream; quamvis hac Pauca admodum sint, & omnem fere industriam ac panopliam in exscribendis variis Locis consumptam videam, ac si Veritas & Mens Anglici Magistri non etiam Rationibus Propugnari posset, & deberet.

Ordinem porro eundem tenebo, quem Adversarius mihi suppeditavit, eundemq; Titulum, quem Theſibus suis uno tantum vel duobus Verbis praefixit, ego Controversiae cuius majori Characteri inscribam, subiecta brevi explicatione, ut quid in questione positum sit, clarius elucescat. Nec omissem cuilibet Controversiae semper Totam Adversarii Theſin ad Verbum relatare praemittere, quod ad pleniorē fidem faciendam non parum conciliis Gloriam obscurandam, quā illustrandam aprioribus, toties à proposito meo alienum initium capere, & per hoc prudenti Lectori suam merito indignantem bilem resuscitare. Itaq; solis illis Verbis reſectis, à quibus Adversarius decentius calamum praecipitantem inhibuisset, cetera non dissimulabo, sed ut propositi & officij mei ratio postulat, omnia sincere referam, quaecumq; ipse opponit, & causae suae adjumenta affert; eaq; Responſa subſiciam, qualia paulo ante promisi, Validis ſcil. Rationibus ſtabilita: ac Evidentibus, aut ſi talia in neutram partem haberi poſſent, certe multo Clarioribus S. D. Teſtimonijs munita. Quibus id ſaltem efficere contendō, ut ſi Adverſario, aut alteri cuiquam placeat in ſuo ſenſu abundare, (ſcio enim de S. AQUIVATIS Mente, non minus, quā de Veritate, Doctiſſimos. Viros editis etiam Libris frequenter ancipiti Marte pugnare) à Victoria tamen certa uſurpatione, atq; à Triumpho deinceps modeſte abſtineat.

